

I. N. J. N.
EXERCITIUM ACADEMICUM,
NONNULLAS
IN
ORTHOGRAPHIAM
LAPPONICAM
OBSERVATIONES
SISTENS,

Quod,
Consentiente Amplissima Facultate Philosoph,
In inclita Academia Upsaliensi,

PRAESIDE
VIRO CELEBERRIMO
Mag. JOHANNE
I H R E,

Eloqu,& Pol.PROFESS.Reg.&Skytt.S.L.S.M.
Publicæ disquisitioni modeste submittit
ALUMNUS REGIUS & SOLLENIANUS,

JOHANNES ÖHRLING,
LYKSELA-V-BOTNIENSIS,

In Auditor. Carol. Major. die 10 Aprilis
ANNI MDCCXLII.

Horis ante meridiem solitis.

UPSALIE impressum.

Jfr Forsner

Celissimi Domini
COMES & BARONES,

S:æ R:æ M:tis

Et REGNI SVIO-GOTHICI SUMMÆ FIDEI
VIRI ac SENATORES ,

Regiae Regnique Cancellarie

P R A E S E S ,

Academiarumque Regni

C A N C E L L A R I I

Excellentissimi:

Nec non

Reverendissime, Perillustris, Nobilissimi

atque Consultissimi

D O M I N I ,

Singula rerum Ecclesiastic. per Lapponias

DIRECTIONIS REGIAE MEMBRA.

Dubitans mibi, utrum ad VESTRAM a-
ram, EXCELLENTISSIMI DOMI-
NI UNIVERSAQUE ILLISTRIS DI-
RECTIO REGIA, accedere auderem, uti vere-
cundum

cundum timorem injecti vestri fastigii splendor; ita
rursus animum addidit singularis illa & plane inusita-
ta gratia, qua omnes & singulos Patriæ Cives, li-
terarumque cultores, me vero speciatim, amplecti soliti
estis. Hac eadem fretus eo etiam audacie jam sum
progressus, ut cogitationes has de ORTHOGRAPHIA
LAPPONICA, rudes licet & incomitas, ad V E-
STROS pedes deponere ausus sim: confusus fore, ut
quemadmodum inter ceteras Vestrarum gravissimas oc-
cupationes gentis Lapponicæ salutem ita curatis, ac si
id vobis negotii unice datum esset; sic quoque VOS
hacce lucubratiunculas, quas sacris in hac lingua ca-
dendis oraculis inservire volui, miti vultu fitis acce-
pturi. Accipite quoque hoc meæ in VOS devotissimæ
pietatis pignus, quod pro tot in me collatis beneficiis
unicum referre valeo: Ego vicissim Supremum Numen
piscis iisque assiduis votis pro VESTRA VESTRO-
RUMque omnium salute & prosperitate compellabo,
compellare quo tum demum desistam, cum spiritum
hunc ducere intermisero.

Excellentiss. NOMINUM VESTRORUM
Universæq; Illustris DIRECTIONIS REGIÆ

humillimus ac devotissimus cliens,
JOHANNES ÖHLING.

VIRO Generoso atque Nobilissimo
DOM. OLAVO
TILAS,

Primaræ Legionis Equestris
M A J O R I
Celebratissimo,

MÆCENATI MAGNO.

Quo plura Tux in me prolixioris indulgentia documenta extitere, eo majori afficio gaudio, quod jam tandem occasio debitam venerationem, die jam tacita mente decentiam, explicandi mihi obveniat. Quum autem simul queri necessum habeamus nihil esse, quo eundem favorem demererri possem, immo & verba desicere, quibus eundem digne celebrem; in ipso limine subsistere cogor, eodemq; quo prius utile silentio. Id tamen mibi temperare non possum quin dicam, Te mea salutis præcipuum fuisse statorem, Tuæ gratia, cuius fructus est stipendium Sollennianum, mihi benigne collatum, fortuna meæ initia magnam partem esse adscribenda. Ego vero, quum alio modo tanta remunerari nequeo beneficia, a Deo. T.O.M. precibus intimis petam, velit Te, Generoso atque Nobilissime Domine, Tuamq; Nobilissimam Familiam, omnigena felicitate cunctatum, in annis permultos servare. Sum

Generosi atq; Nobilissimi Nominis Tui

Culor humillimus
JOHANNES ÖHLING.



בָּשָׁם אֱלֹהִינוּ

§. I.

G

Ens illa sub extremam Arcton & ultra
cæli fere solisque viam projecta, quæ
Lapponum nomine venire solet, quum
adeo a cultioris orbis consortio re-
mota, & non plagæ minus quam in-
geniorum gentis tenebris obvoluta
fuerit, mirari non convenit, si ob-
scurum est, unde nomen & prosapiam duxerit. Vir
magni nominis, quiq; in enarrandis *Lapponum* moribus
insignem operam locavit, JOANNES SCHEFFERUS,
utrumque indagaturus, gentem hanc a Fennis oriun-
dam, & ab illis in ulteriores has boreæ partes detru-
sam arbitratur a): cui conjecturæ utriusque populi
linguam patrocinari credit, quum *Lappe* dialeto *Lap-
ponum* & *Lappu* vel *Läppä* Fennorum significare dicat
rejicere b): ut adeo hoc nomen rejectaneam populi
fæcem per ignominiam denotet. Verum enimvero,
quum Lingva *Lapponica*, quantum quidem mihi con-
stat, hoc, quod nominat vocabulum, penitus ignoret,
Fennorum vero *Läppä*, præter terminum vel limitem
nihil significet, hinc eruditis judicandum relinquo,
quantum ab hac voce præsidii sententia Schefferiana

A

inve-

a) In *Lapponia Illust.* c. 6. b) *Ibid.* C. I. p. 5.

inveniat. Alii vero, qui a Svetlico *Lapp*, veteramen-
tum vel panniculum significante, nationi nomen indi-
tum arbitrantur, pauperem ejus cultum appellationi
huic per contemnum a finitimiis Svecis inditæ occasio-
nem præbuisse conjiciunt, uti ab eadem radice voca-
bula ignominiosa alia profluxisse, vulgo constat. Quod
ad hanc vero sententiam attinet, solenne quidem gen-
tibus esse, ut ignominiosis vocabulis se invicem insi-
gniant, vel solum *barbari* nomen indicio esse poterit,
quod Ægyptii Græcis, & Græci vicissim Ægyptiis, Athe-
nienses Scythis & hi Atheniensibus indiderunt. Sed an
par licentia huic nomini occasionem dederit me nescire
fateor: saltem gentem hanc, si ab idolatria & super-
stitione discesseris, probam & perquam industriam c)
dicterium ejusmodi non promeruisse novi. Immo vero
adeo ab omnibus contemta non fuit, quin de eorum
nomine in titulo regio inter duo potentia regna ferale
belli incendium olim oriretur. Omitto alias altorum con-
jecturas, quæ apud b. m. SCHEFFERUM videri pos-
sunt, ita tamen ut sine debita laude præterire nequeam
eruditam pariter ac ingeniosam viri Celeberrimi & Pa-
triæ nostræ Historiographi Dni JAC. VILDII opinio-
nem, quam id præparatione Hodegetica ad introd. PU-
TENDORFII d) profert, quamque tanto majori jure heic
a) ib. 1516. b) monachus L. T. 1516. c) 1516. d) 1516. e) 1516.

c) *Equior certe hujus populi iudex* & censor fuit Ma-
gnus Scaliger, qui exercitatione 213. 2. Scimus nos inquit,
Lappones esse corpore vegetissimo, agilitate lñsighi, sa-
gittandi peritia nobiles, adversus hostes fortissimos;
erga hospites benignos. *Cui commode jungi possunt, qua*
babet Martinius in voce Lappia. Läppisch, inquit, Ger-
manis est ineptum. Sed in ipsis populis, qui publicis
dictariis infamantur, sepe plus est virtutis, quam in ce-
lebris. d) pag. 180.

inserendam duco, quanto antiquitatem & originem gentis hujus insigniori in luce ponat. Ille vero multæ eruditionis Vir inde, quod apud Herodotum dici inventiat, ultimos hos hyperborei orbis incolas prærupia cœcumina montium imperviorum incolentes Capripedes nasci, nomen illis inditum credit a Gothico vocabulo, *Lapp*; quod ungulam ferinam denotat. Scilicet quum peregrini pedes eorum vidissent ocreis, e pellibus rangiferorum confessis, adeoque villosis & in acumen delinentibus tectos, addidit forte vaga eorum singendi libido, homines hosce nasci ~~adgitodas~~, seu caprinos pedes habentes: id nempe animantis genu; quippe quod ex notioribus ad hanc speciem proxime accedebat e) rangiferorum loco, qui in Græcia ignotiores erant, substituentes.

S. II.

boni Originem gentis hujus si quasiverimus, nec minorra nobis occurrent dubia: sunt qui Lappones veros Patriæ nostræ aborigines esse credunt, & ab Odino posteriore, regni sui limites, quam poterat latissime extende, in hunc orbis angulum compulsos. Alii Samogetharum f) progeniem esse, & ex Asiatico orbe hue penetrasse credunt. Alii vero Fennorum coloniam esse, &, ut antea audivimus, in Lapponiæ juga perveniret. A 2. nisse

e) Quam frequens sit, ut animantibus ignotioribus familiarizari magis ex alia Specie imponantur nomina, eleganter docet JO. GE. WACHTERUS in Glossario voc. Bær. Cui jungi potest Stralenbergius in descr. Russ. Sib. & Tart. p. 58. ubi Tartaros bovem antea non visam Rangiferum Russicum appellasse tradit.

f) Ipsæ se Sabme appellant, quod nomen cum altero effinitatem haud parvam habet. Fennones vero in sua Lingua Suomalaiset se appellant.

nisse suspicantur, quas tamen omnes sententias adeo non esse diversas crediderim, quin aliquo modo conciliari possint. Peculiaris vero conjectura est Celeberni Archiatri & Polyhistoris OLAVI RUDBECKII, filii, qui in animum sibi firmiter induxerat, Lapponum gentem reliquias esse X. tribuum, quas e terra Chanaan captivas abduxerat Aslyriorum Rex, Salmanassar: quam suam opinionem variis firmavit argumentis, iisque talibus, ut assensum facile impetrare possint. Primus, cui suas rationes communicavit, vir fuit continuis peregrinationibus celebris, JOANNES TAVERNIER, cui dum hinc in Lapponiam iter meditabatur, argumenta centum & quinquaginta Ebræam Lapponum originem declarantia reliquit: postea vero in epistola ad B. FAB. THURNERUM, eloqui. Prof. Celeberrimum, rem eandem in compendium misit g). Dolendum vero maximo est opere, quod Lapponia ejus illustrata, ferali urbis nostræ incendio combusta, lucem integra non viderit, idque cum alias ob caussas tum ideo quod in parte hujus operis ultima, cui titulum *Laponis Hebraizantis* destinaverat, una cum convenientia L. Lapponicæ & Hebrææ rem hanc integrum sibi pertractandam sumiserit b). Id certe dubio caret, quod inter corporis habitum, mores & consuetudines utriusque nationis insignis animadvertatur similitudo. Utriusque gentis eadem statura fere brevior, color subfuscus, nigra plerumque cæstaries, i) oris fætor, natura imbellis

&

g) Insertam vide in dissert. Gab. ARCTOPOLITANI de Origine ac Relig. Fennorum p. 13. sequ.

b) v. titulum *Laponie Illustratae*. Uff. 1791. Cfr. b. NORRMANNI carmen gratulatorium.

i) Gothica originis homines longe aliter describit Procopius

& ad mercaturam propensio est. Septimum diem hebdomadis utraque celebrat, idque ita ut qui inter Lapones Christiana etiam sacra amplexi sunt, eo tamen die a gravioribus negotiis quibuscumque abstineant *k*); utraque gens ab attractu menstruata abhorret, adeo ut nec cibum eadem cum ceteris sumat, nec in eadem qua illi sede commoretur. Ultraque gens de se magnifice sentit: Judæi se populum electum putant, ceteros omnes ut profanum vulgus arcent. Lapones pariter semeriplos *almag*, i. e. populum appellant, nullos vero alios: a maribus utrobique manifestantur animalia, quæ nonnisi pura comeduntur, ab iisdem carnes apparantur *l*): utraque gens filias mature elocat, & nisi intercederet publica auctoritas, Lapones decennes: utraque osculo inter salutandum familiares excipit *m*). Ambæ ante cœnam manus lavant, ambæ barbam promittunt, utriusque communis est magna superstitione *n*). Ut vestigia veritatis residua,

A 3

sed

copius de bello Vand. L. I. c. 2. cutis, inquit, omnibus candida, flava casaries, corpus procerum.

k) e.g. ligna non cadunt, sedes non mutant.

l) pars Anterior carnium apud Lapones sexui masculino, posterior feminino debetur.

m) Peculiare vero quiddam habent Lapones in osculationi ritu. Qui enim sanguine proxime juncti sunt, os ora admoveant, qui vero cognati sunt a parte paterna, ad dextram aurem basia magis detorquent, ut cognitionis gradus longius distant: ad sinistram vero aurem illi pari ratione oculis inclinant, qui genere materno juncti sunt. Qui vero nullo sanguinis vinculo necti sunt, ora tantum sibi invicem obruant, non ibant.

n) e.g. Unguum præsemina non abjiciunt in ignem; veniet enim, dicunt, malus spiritus, ut unguis hominum ab

sed fabulis nimium quantum involuta o), & alia innu-
mera omittam.

§. III.

ab igne exigat, quo navicula ex eis construatur, ejus ope
dominius appropinquet, eosque damno afficiat, dicendo:
da mihi unguis hominum; si minus urinam emittingendo te
restringuam; quibus minis ignem perterrefieri, ajunt Lap-
pones, unguisque hominum porrigere; sed terre illa tra-
duant, cui si ejusmodi proponeret comminationes genius ma-
lus, eam modice eis commoveri affirmant, ibique tale re-
sponsum reddere: si unicari urina tua impleres foveam, plu-
res supersunt, quas omnes adimplere vires superat tuas. Hac
fabula quantumvis ridicula sit vel ideo tamen aliquo in-
numero mihi esse videtur, quod ejus in veterum Mytholo-
gia haud obscura reperiam vestigia. Ita enim Edda Mytib.
48. Tunc etiam, inquit (est autem sermo de Ragnarockro,
seu crepusculo Deorum) Naglfare, sic appellata navis
solvitur, qua ex unguibus mortuorum hominum fa-
bricata est. Quare notari debet, quod si quis non pra-
cisis unguibus moriatur, is magnam confert mate-
riam ad hujus navis fabricam, quam Dii & homines
sero perfectam vellent, cujus gubernator Hymur
centaurus appellatur.

o) Iea non obscuram diluvii noctem conservant,
quam tamen cum historia miraculosa Israëitarum per Se-
lavim sustentationis confudisse vernuntur. Vulgo scilicet
narratur, quod quum aqua tota tegeretur terra, majo-
res eorum, exundationem aquarum vitaturi contum
monitum occupare cacumina, in illisque, ut vitam conser-
varant, sua figura taguria: in cuius rei fidem hodie so-
cos, vestigia habitationis, alicubi monstrant. Hos vero mon-
ticolas ex cibariis istis, que aqua diluviana ad eos vehe-
bat, jussu divino, tantum quotidie samsisse, ajunt, quan-

§. III.

Si eundem virum literatissimum audimus; novo argumento erit illa, quam inter utramque linguam deprehendit, cognatio: cuius specimen in epistola ad JOHANNEM WALLISIUM, Professorem Oxoniensem anno hujus scripti tertio dedit. Ego vero, quum quantum eidem roboris insit, dicere nec ausim, nec pro mea in L. Hebræa infantia possim; id interim tu-to affirmo, quod si huic genti vernacula olim fuerit lingua Hebræa, a primo loquendi modo nimium quan-tum jam deseruerit, ut inferius dicenda evidentius de-clarabunt. Et si quoque in ipsis vocibus cognatio quædam ab ingenii perspicacioribus animadversa fue-rit, inde tamen nihil ad immediatam gentis originem concludi posse, erunt forte, qui statuant: in primis quum si ab Hebræa L. tanquam matre ceteræ omnes excedant, mirum non sit, si haec, a commerciis alia-rum gentium adeo remota, luculentiora vestigia sui servaverit ortus. Ceterum id observat non nemo, linguas (de cognatis non loquor) tantum feré habere similitudinis, quantum velint sagaces indagatores.

§. IV.

Sed quum nostri instituti non sit, in res adeo ab-strusas inquirere, pedem propius promovemus ad Lin-guæ

tum vita sustentationi sufficerit, & reliquum in aquas rur-sus abiecisse; gnari fore, ut si quid in crastinum reponerent, aqua statim baurirentur. Durante vero diluvio accidit, ut uxor, marito inscio, minutissimum frustulum carnis oc-cultareret, quo factum est, ut surgentes aquæ focum eorum attingere inciperent: maritus vero quum hoc animadverte-ret, caussam ascensus aquarum conjugem percontabatur, que perterrita bolum carnis a se conditum fateetur, quo mox a marito in aquas abjecto, aqua statim subsedere,

gue Lapponicꝝ considerationem, sub hoc nomine generali omnes dialectos linguaꝝ ejusdem, quæ tot fere sunt, quot diversi tractus aut *Lappmarchie*, comprehendentes. In ipso vero limine statim conqueri necessum habemus, quod nescio incuriane incolarum an sortis inclemencia lingua hæc, in se alias satis elegans & Emphatica, adeo implicata sit tantaque ærugine obducta, ut ulla ope nitorem aliquem illam induere posse, pene negares. Recentioribus vero temporibus postquam in id, ut religione christiana cœcæ mentes Lapponum imbuerentur, majori quam antea nisu incumbere cœpit superiorum cura, & inter ceteros Viri supra mea elogia longissime positi, qui directio- nem hujus negotii pie suscepérunt; factum est, ut quemadmodum ubique fere dogmatum nitor sermo- nis puritatem instillare solet, etiam hæc nostra lingua magis magisque exculta fuerit. Primus, qui aliquid hujus generis tentavit, fuit Pl. Rever. Dn. PET. FIELL- STRÖMIUM, qui vir de miseræ hujus gentis salute meritissimus, ante tres & quod excurrit annos, Grammaticam linguaꝝ hujus, qua fieri potuit industria, e- legantem concinnavit, & publicam fecit. Demon- stravit ille, adeo vagum non esse hoc idioma, quin suis obligari possit regulis, nec adeo stupidum, quin suos habeat nativos sales, & prærogativas. Verum, utut ita sit, vereri tamen cogimur, fore, ut quamdiu vaga ejus manet orthographia, tamdiu etiam fieri non possit, ut in ordinem redigatur: huic igitur malo ut subveniamus, nonnulla ad ortographiam ejus per- tinentia, eamque stabilientia, pro modulo virium nostrarum, adducere constituimus, ea, qua par est, a- nimi observantia L. B. compellant, velit ea, pro sua humanitate, in meliorem interpretari partem, &, si que-

ORTHOGRAPHIAM LAPONICAM.

Si quæ ei desiderari viderentur, sua ex industria ad-
dere, ita rem & nobis & publico gratam facturus.

S. V.

Necessitatem fixæ orthographiæ linguae Lappo-
nicæ constituendæ, eo majorem esse jure credimus,
quo certius constat vagam illam hactenus fuisse, &,
ut diximus, arbitrariam: quo ipso factum est, ut
orthographiæ linguae hujus tenor, ad sonum vocum
ex ore Lapponum auditorum, prout quisque coram
potuit apprehendere, sicut & formatæ, mirum in
modum vacillaverit. Quod etjam ex libris, lingua
Laponica impressis, quibus, vel aliquantulum hac in
re versatus, videre poterit. In illis enim tantam
formationis syllabarum observare licet discrepantiam,
ut non solum unius, in lucem editum, scriptum mul-
tis modis qua syllabas & connectendi modum ab al-
terius differat; verum etiam constet, quod unus i-
demque auctor sibimetipſi fuerit contrarius p), lite-

B

rasque

p) e. g. Man. Lapp. OL. STEPH. GRAAN p. 18. habet
suum, ejus, p. 21. ter legitur lW, ejus, & alibi: quod posterius omni-
no improbamus, quum W sit consona, non vero vocalis, & ideo cum
consona junctum nullam constituat syllabam, que hec tamen esse
debuit: in priori vero uero posterius redundat. Pag. 21. legitur Kag-
geman, in ruinam, p. vero præced. giakettijen, in ruinam
caussantem; sic quoque eadem pag. pijas giaggaldateijen,
in erectorem, p. vero seq. pijasgyggeleman, in resurre-
ctionem. Rationem cur ita scripsit non video, quoniam am-
bo hæc vocabula ab uno eodemq; verbo descendunt radica-
liter, &c. Hoc etjam b. m. RUDBECKIUM, filium, per-
spexisse video, qui, in Lapponia sua illustrata p. 33. dicte,
translatorem Man. Lapponici sibimetipſi singulis in locis
vix consentire; quamvis & ipsum celeb. RUDBECKIUM hæc

orthoe-

rasque diversissimas hoc adhibuerit loco ab illis, quibus usus fuerit alibi, eundem licet semper sibi finxit pronunciationis sonum. Caussa vero fuit, quod aut nullam pro cynosura habuerint orthographiam, aut etjam aliorum sententiarum scribendique modo noluerint adhaerere. Unde fieri non potuit, quin existaret confusus & perversus ordo; quique illis, qui notitiam linguae sibi comparare studuerunt, remoras & obstacula injiceret. Ut alto silentio transeam, quod lingua hæc, non multis retro annis, eorum vitio, habita fuerit stridula & incompta, qui vel per stridulam consonarum congeriem, vel vocalium otiosam accumulationem, linguam ita depravarunt & obscurarunt, ut, quo sono efferatur, nec sagaciissimi conjicere, nedum videre potuerint q). Quod quum

orthographia varietas aliquando acceperit, ut quum ibi commiscuerit τὸ Kaarit, vel garet, cingere circumdare, cum τῷ karres, vel garres, durus, sevus, quæ a se invicem distindissimæ sunt: item cum τῷ karro, maledictio: dire, quod a verbo karrodet, vel secundum dialectum australiorem, görrodet, maledicere, descendit, & toto, ut dicitur, calo a garet differt: nec non cum karraswot, rete garreshwot, duritia, crudelitas, & karraseht, rete garresukt, duriteer, crudeliter, quæ duo posteriora & nomine garres derivantur, quod ab Hebreo Τῇ non inepte deduci potest. Catechismus Lutheri in precepto VI habet färegudt, in tabula æconomica, pro subditis, färegutte, & in Symb. Athanas. l. 1. färegutt, quicunque. Et sic in aliis, ex quibus loca quedam adferre & voluimus & debuimus, sed ad manus non fuerunt; eos tamen eodem labore ritio nullum est dubium. cfr. insuper FIELSTRÖMIL Gram. Lapp. p. 5 6.

q) Quo merito referenda sunt sequentes scribendū for-
mū-

quum ita sit, quivis facile viderit, quam necessarium sit huic malo occurrere, idque jam omnium maxime, quum clementissima Regia liberalitas, nullo verborum apparatu satis unquam a me prædicanda, non tantum libros, Lapponum conversioni destinatos, typis mandandos curaverit; verum etiam posteriorem partem sacri codicis, Novum videlicet Testamentum, in idioma Lapponum transferri voluerit eadem gratosissima beneficentia. Antequam igitur hi libri, Novum in primis fœdus intellectum volui-
mus, cuius genuina & a quibuscumque corruptelis omnimode libera versio nobis jam exspectanda est, excudantur, constans certe orthographia requiritur, ne legentibus tedium pariat, & molestiam diversissimus iste & fluctuans scribendi modus. Ego itaque huic negotio adeo necessario meam symbolam additurus, cogitationes nonnullas in medium proferre in animum induxi, ut ita Regiæ gratiæ, qua perfueror, me memorem ostendam, tamque salutari operi, quantum vires permiserint, inserviam.

S. VI.

Dixi in antecedentibus yagum inconstantemque hactenus fuisse scribendi modum in Lingua Lapponica, sed quemadmodum medici non satis habent, morborum secretam tabem indicasse, sed etiam, quantum in illis,

B 2

reme-

mula in libris antiquioris ævi exaratis passim occurrentes: Phāratzhiawii, ducebatur, giackatzhiemen, sedens, bi-
ketzii, confitebatur, giärfwåii, clamabat, Peiiwe, dies,
sol, sited, velle, paii, permitte, sine, oidzod, accipere,
ziatze, aqua, zoidzod, þare, waasam, præteritus, U-
tzhiudet, cogitare, taii peiiwii, in diebus illis, Et per-
multa alia ejusdem farinæ vocabula, in quibus omnibus re-
sensendis tempus Et charta nos deficerent.

remedia suggestunt; ita etiam nostri officii esse videmus fontes monstrare, ex quibus certior orthographia peti possit. Id vero dum agimus, vellemus, ad codicum antiquorum auctoritatem nobis provocare liceret: sed quum paucissimi dentur in hac Lingua exarati Libri ^{r)}, & nos adeo majori jure quam Celeberrimus REIN-MANNUS ^{s)} desideremus Bibliothecas Lapponum, quum præterea paucissimi hi Libri impressi inter se non magis quam horologia concinant, ab hoc subsidio nos statim deserit videmus. Nec, quod ab Etymologia ducitur argumentum, rem ubique extra dubitationem posuerit. Nam quum nondum adeo liquido constet, unde hæc lingua promanaverit, nisi quod notabilem in plurimis vocibus cum Fennica deprehendamus harmoniam,

r) Libri, qui hactenus lingua Lapponica prodiere, sunt fere sequentes: 1. En liten sängbok, buruledes messan skat bållas &c. på Lappská, sive liber rituum & cantionum, auctore NIC. ANDREÆ, Past. in Piteo. Stockholmia apud Ignac. Meurer A. 1619. 8. 2. Liber Alphabetarius, eodem auctore & tempore exhibitus. 3. Manuale Lapp. JOH. TORNÆI, Past. & Prep. Tornensis, Stockholmia Anno 1648. 8. apud Henricum Keyser. 4 Synopsis Thesauri Catechetici D. PALLINI per OL. STEPH. GRAAN, Stockb. 1668. 8. 5. Ejusdem Manuale Lapponicum Anno 1669. in 8. 6. Liber alphabetarius S.M. GRANMARKII A. 1726. apud Job. L. Horrn. 7) Ejusd. catechismus minor B. LUTHERI eodem anno. 8. Gram. Lapponica Dn. PET. EIELLSTROEMII, Past. Lyckf. Holmia A. 1738. in 8. apud Job. L. Horrn. 9. Ejusd. Dictionarium Sveco-Lapponicum eodem anno ibid. 10. Ejusdem catechismus B. A. Ups. D. SVEBELII anno eodem ibid.

s) Ille nempe in sua introd. ad Hist. lit. Tom. I. p. 90 inter sua desiderata literaria habet cognitionem Bibliothecarum Lapponicarum.

moniam, & fortassis in ultimas usque Asiae latebras penetrandum esset, si deperditas radices & cognata vocabula indagare voluerimus; per se patet, nec hinc spem nobis affulgere. Quod vero ad L. Hebraam in specie attinet, cuius proxima prosapia nostra nonnullis creditur, vereor ne justo longius processerimus, si ad ejus genium regulas effinxerimus ^{t)}. Nam ut ipsius controversia arbitrium antea detrectavimus, ita jam tantum monemus, quod etiamsi daremus, Lapponicam Linguam dialectum esse Hebraicam vel Hebraismum vitiatum, nihilominus tamen, quum jam filia matrem parum adeo referat ^{u)}, non videmus, cur in has ambages ultro nos conjiciamus. Simulac enim Lingua quædam sui quasi

B 3

juris

^{t)} Licet enim vel maxime vocabulum Lapponicum awo, gaudium, qua scriptio nem conveniret cum Hebreo אָוֹ, inde eamen non sequitur, quod necessario exarandum sit per b in fine; b enim in hac voce non tantum est otiosum, accentu in priori manente syllaba, verum etiam inconveniens, quod vel ex flexione per casus apparet, e. g. in dat. esset awohi pro awoi, & confunderetur sic tertia persona singulis Imperfecti I. cum hoc ipso vocabulo, praeterquam, quod unam syllabam, naturali nexu coherentem in duas dividatur. Licet etiam τὸ Palhi, vel, quod vulgarius, bali, fodiebat, derivari videretur ab Hebreo בַּלְיָה, male tamen scribitur cum b, in infinitivo enim est balet, fodere.

^{u)} Nullum enim discriminatur inter genus masculinum & femininum, ut in Lingua Hebraea, sed nomina omnia sunt generis omnis: in pronominis & verbis non habent numerum dualem Hebrei quemadmodum Lappones: nomina Hebreorum non slectuntur per casus ut Lapponum: in verbis Lapponicis alia non est terminatio persona masculina alia feminina, ut in Hebraeorum: nec eodem modo slecti possunt per ea Lapponica ac Hebraica, & sic in reliquis.

juris facta est, & a ceteris discreta, ipsa sibi leges format, & sola regulas condit. Habuit L. Latina a Græcis multum sui nitoris & plurima vocabula, sed civitate non donavit, nisi mutato, ubi opus esset, habitu. Sic etiam ipsa lingua Hebræa sine invidia cernit filias, Chaldaicam, Syriacam &c. alias adoptare ut sonos ita literas, id est orthographiam. Hoc ipso vero, quod negemus orthographiam Linguæ Lapponicæ ab Hebræa esse derivandam, eorum lucubrations suo pretio non defrandamus, qui in eo fuere occupati, ut convenientiam ostenderent inter Hebræam & ceteras Linguis, quin potius laudamus eorum industriam, quum jucundum saltem sit contemplari, quomodo omnes fere totius orbis lingua Hebrææ natales suos debeant: Et mirabilis sane est ille Linguarum diversarum concentus, per quas sparsa primeva Lingue vestigia, ut Ægypti aliquid, non vana bariolatione, venari possumus, dicente D. GEORG. MORHOFIO. x).

§. VII.

Si itaque absque præjudicio agere voluerimus, nihil restare videbimus, nisi ut domesticam vocum derivationem, ipsamque elocutionem in consilium vocemus, illasque regulas illi applicemus, quæ omnibus linguis communes sunt. Jam vero ut in vulgus constat, litteræ in eum tantummodo finem inventæ sunt, ut sonos exprimerent, unde 1. facile sequitur, in qualibet lingua tot literas (nec plures nedum pauciores) esse debere, quot dentur diversi soni, ut adeo oculi omnia videant quae

x) Polybist. Lit. Philos. & Pract. Tom. I. Lib. I. C. XII.

y) Hinc derivata primitiorum sequantur scriptionem; atque adeo non est scribendum gebbesigne, inconstans, latissinig, & keppedet, sublevare, quoniam ab eaem descendunt radice, geppes, levis, &c.

quæ audire solent aures, quo casu officio suo rite funguntur characteres. 1. Easdem literas non debere geminari, nisi ubi geminationem ipsa pronunciatio imperat: Ad tenorem harum regularum omnis superflua literarum congeries §. V. a nobis taxata, in exilium proscribitur, adeoque scribendum est *faerescåwi*, ducebatur, non *Pħāratziåwii*, *giäckaschemen*, sedens, non *giackazhiemen*, *bikschi*, confitebatur, non *biketzu*, *giärfwåi* clamabat, non *giärfwåii*, *åggior*, accipere, non *oidzod* *giatse*, aqua, non *ziatze*, *wischotet*, odio habere, non *witzbiudet*, *usebodet*, non *utzbiudet*, cogitare &c. Vi earundem verbum schattet, fieri, scribendum est cum s, non vero cum h, ut nonnulli volunt, e. g. *biadet*; quia sonus vocis s requirit, & h illud sonum τε s neutiquam absolvit: sic *smareschet*, non *smarehiet*, colloqui, loqui, & alia. Ex his porro regulis sequitur, quod z illud, quod tantopere, nescio quam ob causam, nonnulli amant, cuique peculiarem quandam tribuere videntur vim vocum explicandi sonum, non semper sit adhibendum, & imprimis vel d præcedentibus, idque ideo, quod vices gerat ss vel ds, in quas si resolvatur literas, puram literarum redundantiam quivis deprehendet: Itaque male usurpatur in supra allatis ut & in *bevez*, laus, *beretz* & *ajetz*, impedimentum, in reliquis.

3. Quum Lappones, in primis Pitoënses, quorum dialectus ceteris præferanda videtur, literas b & p d & t g & k eodem sono efferant, auctor pene fuerim, ut alterutram penitus eliminentur. Nam præterquam quod nihil certi in orthographia facile statui possit, quamdiu promiscue ponuntur, maximo impedimento erit hac elementorum confusio, si Lexicon aliquod Lapponicum olim conscribendum fuerit, dubique hærebunt lingua hac initiandi, sub quanam litera

tera quælibet vox quærenda sit. Aut, si id minus ariserit, consulendæ erunt ceteræ dialecti, & in eodem Lexico probe attendendum, utram harum literarum præoptare debeat: & sicut hic labor exquisitam diligentiam requirit, ita, quæ ibi statuminata fuerint, nec facile mutanda erunt.

4. Sonus iste, quem nonnulli per *zia*, *zie*, *zio*, &c. alii per *tia*, *tie*, *tio*, &c. alii aliter expresserunt quique caussa fere princeps est omnis istius, qua labor sermo noster, inconstantiae & difficultatis, commodissime per *g* depingitur, quod ante vocales *i* & *u* diptongatum *z*), nec non *g* nudum finale, in quo, voce a fine crescente in flexione per casus, eadem est qualitas, quamcumque demum præcedat vocalem, & in medio geminatum, eundem fere sonum sortitur ac *G* Italorum sibilans: manente nativo ante *a*, *e*, *o*, *u*, *å*, *ä*, *ö* & consonas *a*). e. g. *iggi*, *b*) *gipt*, *nuptus*, *guåg-gelet*, *resurgere*, *agge*, *pater*, *gig*, *septem*, *almag*, *homo*; *åggelag*, *carnalis*, *hwåignelag*, *spiritualis*, *gråppelag*, *corporalis*, *bäckelag*, *vitalis*, *galet*, *aquam transire*, *get*, *manus*, *mangemast*, *postremo*, *golec*, *audire*, *got sex*, *gutt*, *quis*, *gutk*, *culter sectorius*, *gåik*, *ad*, *gåtskanet*, *appropinquare*, *aktigårdsag*, *simplex*, *görjotet*, *lætitia affici*, *gaudere grase*, *gramen*.

s. Vo-

z) Vid. FIELST. Gram. p. 4.

a) Si quæ reperirentur verba, que huic non parent regule, rectius scribuntur per k. ut maitek, aliquid, aktek, aliquis, a, id, dattek, idem, lattek, chamamora, biortron, zacke, fulcrum, håck, vita, nacket, adigero, dackar, talis, kirje, liber, bok, kigget, interrogare, bæk, ventus, lecketet, quiescere, feriari, & hujus generis alia.

b) FIELSTROEMIUS quoque hoc ipso modo hanc vocem scribit v. Gram. p. 70.

5. Vocalium repetitio in eadem syllaba vitanda est, ea stante regula, quod una vocalis in se & sua natura, omnibus in linguis cultioribus, unam semper constitutat syllabam. Si vero iterationem vocalium efflagitare videretur protractior syllabæ mora, vel signum accentus id indicare poterit, vel etiam subveniet usus: ita scribimus *ädet*, pro *åädet*, dormire, *galet*, non *gaalet*, *gagiet*, *æmulari*, non *gaagiet*. Consonantes vero toties geminantur, quoties id pronunciatio poscit: ita scribimus *dat*, *bic*, *datt*, *ille*, *wit*, *quinque*, *witt*, *rurus*, & sic in aliis permultis c).

6. Terminata in *hwot* d), recte a FIELLSTRÖMIO his literis pinguntur, non vero, ut nonnulli volunt, per *hwuet*, & in illis tunc ejusmodi sortitur sonum, quem nulla litera, nobis usitata, exprimit, eundem scilicet quem Suecana vocabula, *gol*, *flavus*, *kol*, *carbo* &c. expetunt, medium quasi inter å & o.

7. Sch Lapponum sono τετ Hebræorum sive Germanorum sch ubique respondet: usus autem ejus in plurimis est verbis. e. g. *hwescher*, coquere, *schabettet*, crescere, fieri, *asche*, delictum, reatus, *schepfches*, imbecillis, *schawat* e), quietus, tacitus, & in aliis innumeris, quæ omnia sonum quendam dentalem poscunt.

C

8. De

c) Præpositio sis, in, cum compositis siswatset, introire, sisgianget, intrare, &c. rectius cum uno i' seribitur.

d) Terminantur vero in *hwot*, quotquot Svecis ex-eunt in het, ut *buörewiljokswot*, *bewägenhet*, *benignetas*, *hweredshwot*, *nöchterhet*, *sobrietas*, & in dom, ut *neithwot*, *jungfrudem*, *virginitas*, *nuerhwot*, *ungdom*, *juventus*.

e) Quod cum Hebrao נָבֵן apprime convenit.

8. De vocalibus å & å, quæ cum o & e sape alternant, hanc simplicissimam tradimus regulam, quod semper adhiberi debeant, ubi sonus postulet, qui in hoc puncto judex solus erit. e. g. årråt, esse, bårret, comedere, giäckanet, sedere, discumbere, giäcket, congerere, congregare &c.

§. VIII.

Et sic portum b. c. D. attigimus, eaque, quæ in præsentia necessaria visa fuere, quam brevissime adduximus. Nemo vero existimet, nos vel scribendi prurigine, a qua procul absumus, excitatos, vel affectu quodam minus sincero ductos in hoc stadium processisse. Et licet opera hac nostra facile carere potuisset publicum, postquam lucem videre conamina felicissima Pl. Reverend. Past. Dn. PET. FIELLSTRÖMII, nihilominus tamen, quem mihi videre visus fuerim aliqua, licet perexigua, hinc inde addi posse, patietur vir optimus & pius, hanc laciniam suo operi adjungi. Tu vero B. L. si quid bona frugis in hisce pagellis inveneris, candide fruere, si correctione indigerimus, nec illam recusabimus: nunquam enim hoc quidquid est operis eo aggressi sumus animo, ut orthographiam hanc, jam leviter a nobis delineatam, ut optimam omnique exceptione majorem venditare, illamve aliis obtrudere vellemus; quin potius noster fuit scopus, ut alios, qui majori pollent & ingenii industria & uberiori rei notitia, nostro exemplo excitaremus, ut fixam linguæ nostræ aliquando addant orthographiam; fiet tum ut inutiles circa hoc negotium motæ lites componantur & quiescant, certaque pandatur via iis, qui in linguæ hujus notitia acquirenda & addiscenda studium aut locant aut posituri sunt;

sunt; gloriaque altissimi, sub hoc etiam in ameno
sidere, amplificetur & extollatur. Hoc si obtainueri-
mus, per quam felices nos censemus; interea cona-
tus nostros qualescumque B. L. commendamus favori
dextræque interpretationi, meliora, si fata ita tulering
promittentes. Tu vero, summe rerum arbiter, qui
*sonum mirabilium tuorum exire permittis in omnem ter-
ram & in fines orbis terre verba tua f)*, benigniter
concede, ut etiam hi regni tui cives, in arctois illis
tesquis oberrantes, uberiores gratiæ tuae, quotidie
omnibus hominibus oblatæ, radios persentire
queant, cordaque illorum malleo legis tuae ita con-
tunde, ut intimam suam miseriam apertis fidei ocu-
lis inspicere possint, atque adeo eo majori ar-
dore Te tuamque gratiam querant, & tua
mandata exsequantur. Tibi interea sit
laus, honor & gloria in secula
seculorum.
AMEN,

f) Psalm. David. XIX, v. 5.



Lårdok Herra AUCTOR.

Måtte le mai rudwom buōktet Sabmen alma-
geb akt stuārabels giāukses, eh le dauk
anje das dann jenjeb mattam dacket; nau
sijen stuāre startekshwoten, go sijen onāppeshwoten
audest Daron gelisn, jegiabit hāptoit, jueite sije gaud-
nam le, uggub lapet. Dan fairai le dah ålbaumah dalk-
sit bejegåtam, jueh Jubmelen giāckålwasen jenanemen
bir dann sack hokso, jukte ai uschodam, jutte Datt
Ailes Bibel daibi Sabmen gelei mālsotåfwet. Walla,
autelen go dat matta schatter, jette jukte Sabmen Gel
hwestek galika dufwesåfwet. Sadnan akt buōrak ja
mainos uscholm, juek Jubmelen giāckålwasen ja dai
waiwasi almugi aukai le. Jues, jukte mon hweid-
nab Dodnom, Lårdok Herra, jeget åljob bejet,
ib jegiait mattab dacket ån go awotallet do giappes
uscholmen, ja do mainos jitsemen bajelen go gaik ågia
flåderemisn, nau ai datne gelisn, ja aktet rappes wai-
most safwot wai Jubmel Gaikwekses luli wattet Do
bargoit aktem lyckoks juttelefæb, so Nammen he-
wetusai ja jeges giāckålwasen, jues jegebt le aile-
stam, stuāramus aukai!

Do buōrewiljokumus
OLAV. HEDENSTEDT.